



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1863**

XXVI. Markgraf Ludwig bestätigt die Dotation eines zu Ehren aller Apostel von dem Pfarrer Mag. Nicolaus in der Pfarrkirche zu Kyritz gegründeten Altars, am 3. März 1334.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56044)

eiusdem quoque Nicolai dispositionem, ordinacionem, prouisionem et Colationem, prout melius valere poterit ibidem aut alibi in simili statu uel in alio existentis, quamdiu ipse vixerit et post eius mortem ad quemlibet ejus successorem inperpetuum, qui pro tempore ipsam rexerit ecclesiam, absque impedimento quolibet pertinebit, hoc sane adiecto, quod is, cui de secundo versus austrum sito prouisum fuerit Scolaribus ibidem panem album pro sex denariis quibuslibet septimanis emendum omni die Sabbati perpetuo ministrabit et singulis diebus misse dicentur in remedium animarum sue fratrisque sui domini frederici premortui omniumque suorum progenitorum, ad quod faciendum ipsius ecclesie Rector Executor esse debet seu compulsor: Hos quippe redditus cum proprietate ac libertate prefatus Nicolaus sua pecunia comparauit. Datum Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXXIII<sup>o</sup>. Testes huius sunt: Magister Gerardus de klyzeke, Thydericus, Rector ecclesie in Brusenhagen, Arnoldus, Rector ecclesie in Szazic, Hinricus de karstede, miles, Johannes Fuech et alii quam plures fide digni.

Aus dem Magoczky'schen Copialbuche No. XIII.

XXVI. Markgraf Ludwig bestätigt die Dotation eines zu Ehren aller Apostel von dem Pfarrer Mag. Nicolaus in der Pfarrkirche zu Kyritz gegründeten Altars, am 3. März 1334.

Ludovicus, dei gratia brandenburgensis et lusatie marchio etc. singulis et vniuersis, ad quorum notitiam presentes deuenerint, salutem et notitiam subscriptorum. Cum prudens et discretus vir magister Nicolaus, rector ecclesie parochialis in kyritz, cappellanus noster dilectus, de suis memorans nouissimis mobilemque lapsum huius seculi considerans, ob salutem et perhennem memoriam animarum sue parentumque suorum, quoddam altare in prenotata ecclesia, versus austrum situm, de octo fructis denariorum brandenburgensium annuorum reddituum in moneta dicte ciuitatis sitis dotauerit et in honore omnium Apostolorum procurauerit consecrari; Nos quidem pia consideratione moti prenotatos octo librarum redditus ob diuini numinis nostreque salutis Animarumque progenitorum et predecessorum nostrorum respectum eidem altari appropriauimus presentium litterarum testimonio addicientes, quod si dictam monetam ad alium locum nos transferre contigerit, quod dicta translatio quoad dictos octo librarum redditus nullum debeat nec poterit ipsi plebano predicto uel altare predictum officianti preiudicium generare uel inducere quomodolibet nocumentum. Volentes etiam presentationem dicti altaris per ipsum dotati apud ipsius successores legitimos, postquam ipse debitum carnis exsoluerit, deriuari omni prorsus impedimento rescato pariter et reuolui. In cuius etc. Testibus presentibus ac hoc vocatis et rogatis uidelicet domino fratre hinrico de sippelingen commendatore, Preposito Bernowensi, Betekino de wiltberch, henningho de Jagow, dapiferis nostris, Hermanno de wulkow, yone de konigfberch (sic), militibus, cum ceteris. Datum Prifwalk, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXXIII<sup>o</sup>. feria quinta ante dominicam, qua cantatur Letare.

Aus dem Magoczky'schen Copialbuche No. VI.